



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Laymann, Paul

Dilingæ, 1666

Capitvlvm III. De eo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

fuetudo laudabilis ceneri non debet, sed, si fieri possit, tollenda: interim tamen dum non tollitur, excusat Græcos à peccato. Qua de re dixi lib. 5. tr. 9. c. 11. Cætera, quæ de suspensione, tum ab ordinante, tum ab ordinatis incurrenda hîc dicuntur, si ordinatio extra quatuor ieiuniorum tempora fiat, infra explicabuntur.

CAPITVLVM III.

De eo.

SUMMARIVM.

1. Ordines minores, etiam extra generalem ordinationem, quouis Dominico die, aut festo conferre licet; modo non tam multi ordinentur, ut videatur esse generalis ordinatio.
2. Subdiaconatus autem & alij Ordines conferri debent in quatuor temporibus, Sabbato sancto, & Passionis.
3. Prima tonsura quouis die conferri potest, Minores autem ordines die Dominico, aut secundum Ecclesiam (saltem particularis) præceptum, festo conferri debent.
4. Prima tonsura & quatuor Minores eodem die conferri possunt. Quibusdam locis consuetudo est, ut conferantur non in ipso Sabbato, sed anticipatò præcedente feria V. aut IV. & tempore matutino.
5. Non est necessarium, ut in ecclesia conferantur; ordinatio enim hac institui in alio honesto loco potest, præsertim in domo episcopali.

Ordines minores non tantum in ordinatione generali conferre licitum est, sed etiam quouis die Dominico, aut festo, saltem vnus, & alter ordinari potest; imò etiam plures, ait Gl. communiter recepta, dummodò non sint tam multi, ut videatur esse ordinatio generalis. At verò Subdiaconos nulli Episcopo, præter Sum. Pontificem ordinare concessum est, nisi in ordinationi-

bus generalibus, quæ fieri debent in Sabbatis Quatuor Temporum, Sabbato Passionis Domini, & Sabbato Resurrectionis.

His quædam addenda sunt: I. Prima tonsura quolibet die conferri potest; cum de hac re nihil iure constitutum sit, ut docet Tabiena ver. ordo 2. n. 4. Armilla eod. ver. n. 7. Henric. lib. 10. c. 12. n. 1. Sed minores ordines die Dominico aut secundum Ecclesiam (saltem particularis) præceptum, festo conferri debent, iuxta probabiliorem sententiam apud Barbosam p. 2. alleg. 11. n. 18. II. Quatuor minores ordines simul eodem die conferri possunt; imò etiam cum prima tonsura, vbi talis ecclesiam consuetudo est, teste Tabiena ver. ordo, n. 3. Syl. eod. ver. 2. n. 7. III. Prima tonsura, & quatuor minores in quibusdam ecclesijs conferuntur non in Sabbato, sed per quandam anticipationem præcedente Feria VI. aut IV. quæ consuetudo reprehendi non potest, ut dixi lib. 5. Th. mor. tr. 9. c. 8. n. 1. IV. Necesse non est, ut prima tonsura, & quatuor minores ordines conferantur sub Missæ sacrificio, neque ut ordinans ieiunus sit, teste Armilla ver. ordo, n. 6. Barbofa p. 2. alleg. 11. n. 10. Consuetudo tamè est, ut tempore matutino conferantur. V. Neque etiam necessarium est, ut prima tonsura & ordines in ecclesia conferantur, cum etiam in alio loco honesto, præsertim episcopali domo, ordinatio ista institui possit, sicuti testatur Henric. lib. 10. c. 11. n. 8. Barbofa cit. allegat. 11. n. 20. & sumitur ex c. quando & vbi, d. 75.

CAPITVLVM IV.

Ex tenore.

SUMMARIVM.

Criminosus occultum moneri potest, ne promoveatur ad ordines, sed si velis & petat, prohiberi non potest.

SI aliquis Clericus occultum peccatum commiserit, quod si notorium vel publicum esset, nec in susceptis ordinibus missi-